



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1705

Titvlvs XXV. De Peculio Clericorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

Spaliter non tendat ad acquirendum, sed ad renuntiandum: & propterea illa momentanea aditio & acquisitio non fit attendenda, arg. l. §. fin. C. de Bonis, quæ liberis; quia etiam momentanea, quando

aliquem Juris effectum produciunt, in consideratione esse, patet ex l. Uxor 2. C. de Posthum. hered. instit. & tradit Petr. Barbosa in l. Dotalem 62. ff. Solutio matr. num. 13.



TITVLVS XXV.

De Peculio Clericorum.

Priusquam à Donationibus ceterisque contractibus ad Ultimas voluntates transeamus, declarandū est Peculium & varietas Bonorum, quorum clerici dominium habent aut solam administrationem; ut, quæ eorum dispositioni sint obnoxia, constet.

- 9. Quò sensu ejusmodi bona Dei & Christi sūt,
- 10. Vel BB. Cœlitum esse dicantur.
- 11. Bonorum ad Ecclesias & Monasteria pertinentium generalis. Papa:
- 12. Particulares administratores sunt Episcopi,
- 13. Abbates & alii Prælati Regulares,
- 14. Abbatesse & his similes, monialium Præpositæ.
- 15. Multum tamen restricta est administratio istarum,
- 16. Et superiorum Localium in Ordinibus Mendicantium.
- 17. Uti & Rectorum Parochiarum & Hospitalium.

ARTICVLVS I.

De Bonis ipsarum Ecclesiarum.

SUMMARIUM.

- 1. Peculii etymon & significatio.
- 2. Bona Clericalia alia Patrimonialia vel quasi.
- 3. Alia Beneficialia.
- 4. Et alia Ecclesiastica sunt.
- 5. Ecclesiasticorum dominium particulare non est penes Christum Dominum.
- 6. Sed penes ipsas Ecclesias particulares.
- 7. Simile dominium est penes Monasteria.
- 8. Speciatim Jure & Ratione.

Peculium, sic dictum, quasi *Parvula pecunia*, seu parvum Patrimonium sit, l. Depositi 5. §. 2. ff. de Peculio, & strictè acceptum, eam Patrimonii sive bonorum portionem denotat, quam filiusfamilias aut servus à rationibus patris vel domini separatam, & istorum permisso quasi propriam habet, l. cit. §. fin. Barbosa ad hanc Rubr. n. 4. Latè verò acceptum Peculium significat quodcumque patrimonium sive bona alicujus, etiam qui sui juris est, l. *Ecce* Cogi 16.

Cogi 16. pr. ff. ad S. C. Trebell. Pirrhing ad Rubr. cit. n. 1. Quod posteriori modo sumpti Peculii sive bonorum, quorum clerici dominium aut saltem administrationem habent, quatuor genera sunt: scilicet Patrimonialia, quasi Patrimonialia, Beneficialia & Ecclesiastica.

2. Patrimonialia dicuntur, quæ clericis aliunde quam ratione beneficii vel officii aut ministerii Ecclesiastici, v.g. ex hereditate, legato, donatione, contractu, usucapione, labore vel industria obvenierunt.

Quasi-Patrimonialia, quæ ipsi, non quidem ratione beneficii Ecclesiastici, sed ratione alicujus ministerii sive exercitii Ordinis vel jurisdictionis tanquam præmium aut stipendium acquisiverunt, v.g. canendò in choro, sacrificandò, prædicandò, Sacramenta administrandò, Vicarium temporalem obeundò &c. Ad quæ pertinent Funeraria & cæteri redditus, ut vocantur, Stolæ: uti & quotidianæ Distributiones: & reduci possunt, quæ ex congrua sibi que ex beneficialibus proventibus debita sustentatione frugaliter vivendò comparterunt.

3. Beneficialia, quæ aliqui etiam Ecclesiastica nominare solent, sunt redditus, qui ab ipsis ratione alicujus dignitatis vel beneficii Ecclesiastici, in titulum collati, percipiuntur: qui aliquando omnes, aliquando ipsorum duntaxat pars aliqua necessaria ad congruam clericis sustentationem: reliqui verò superflui sunt, Navarrus *de Eccles. Redit. q. 1. monito 19.* Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 4. n. 35.* & Molina *Tract. 2. de J. & J. disp. 142. à num. 1.*

4. Ecclesiastica demum, proptèr à Beneficialibus distinguuntur, sunt bona & res mobiles & immobiles ipsarum Ecclesiarum aliorumque sacrorum & religiosorum locorum, quibus clerici servantur aut præfunt, in illarum Fabricam, sive istius

conservationem reparandamque ministeriorum salaria, elemosinas pauperum, infirmorum curam &c. impendenda: quibus accensentur villæ, prædia & fructus, ex quibus redditus beneficialis proveniunt & à clericis Ecclesiarum suarum nomine percipiuntur Hainold *Tom. 1. de J. & J. Tract. 4. cap. 2. pr.* Ex quibus bonorum generibus

Postremorum sive Ecclesiasticorum, à Beneficialibus distinctorum, bonorum dominium Innocentius, in *c. Cùm super 4. de Causa poss. & propr. n. 3.* Navarrus *Comment. de Spoliis §. 2. n. 3.* & cum in Donatus *Prax. Regul. Tom. 1. p. 2. tit. 14. q. 27. n. 1.* Christo Domino tribuunt, cum propter varios textus, quibus vocantur Pecunia Christi, *can. 1. & can. qui absulerit 12. q. 2.* Christi Patrimonium, *c. Cùm secundum 16. de Prob. & dignit. & c. Cùm ex eo 34. de Elect. in 6.* Res Dni Concil. Trident. *sess. 15. cap. 1. de reformat.* ibi, *Nec res Ecclesiasticas quæ Dni sunt.* tum verò; quòd hujusmodi res bona à Fidelibus Deo & Christo Domino in Divinum & Beatorum Cælitum honorem cultumque offerantur & dicantur, *can. Res que, q. cit.* Quibus accedens communis sensus & Vox Fidelium Ecclesiarum bona & proventus *Ad Sanctam*, in cujus venerationem & memoriam templa Deo dedicata sunt, pertinent dicentium, *sie gehören dem Heiligsten* eorumque administratores *Die Heiligen Pfleger* appellantium.

Sed, sicut frequentioribus DD. *Summa lib. 1. cap. 113.* Cajetani *2. q. 47. art. 1.* Sarmienti *de Reddit. Eccles. & cap. 1. n. 22.* & Molina *cit. disp. 142. n. 6.* ejusmodi bonorum particulariter dominium esse, docentium penes ipsos Ecclesias sive Collegia & Capitala clericorum est.

sum: Aut, ubi talia non sunt, penes communitatem Fidelium ad Ecclesiam spectantium: & penes ipsa Monasteria seu Conventus & communitates Religiosorum, si illa domini capacia: si verò istius incapacia sint, penes sedem Apostolicam sive Ecclesiam Romanam: vel potius penes ipsum locum sacrum seu Religiosum, tanquam personam fictam, secundum Glossam in c. *Causa* 13. v. *Ecclesiam de P. S.* sicut bonorum defuncti, ne nullus & vacantia, proindeque occupantis sint, dominium penes hereditatem esse, fingitur, donec hæres aditione dominus efficiatur, l. *Hereditas* 34. ff. de *Acquir. rer. domini*. l. *Heres* 22. l. *Septim* 40. ff. de *Ufup. & Ufucap.*

Dixi autem, *articulare*: non Universaliale; quantumvis enim Ecclesiarum & Monasteriorum quorumcunque bona omnia subijciantur Ecclesie Universalis: cuius pariter Universaliale caput, & rerum Ecclesiasticarum omnium supremus administrator est summus Pontifex, *can. Imprius* 7. §. *Contra hoc* 2. q. 1. §. c. *Libert.* 2. de *Præb. & dignit.* in 6. Particulare tamen illorum dominium est penes ipsas Ecclesias & Monasteria.

Et Rerum quidem his oblatarum dominium penes ista esse (quod cum *citt. DD.* agnoscit ipse Navarrus *Comment.* 2. de *Regular.* n. 3. §. 8.) non obscure inferuntur *can. Non dicatis*, 12. q. 1. & clarè expressum est *can. Quoniam*, 16. q. 1. ubi Clerici vel potius Episcopi, *Decimas & Oblationes in monachorum dominium & usum transferre permittuntur.* Idem dicitur traditur à Trident. *Sess.* 25. *cap.* 3. de *Regular.* *Omnibus monasteriis & domibus, tam virorum quam mulierum, & Mendicantiis (exceptis Domibus FF. S. Francisci Capucinarum & eorum, qui Minores de Observantia vocantur) concedente, ut deinceps bona immobilia eis possidere*

liceat. Quibus verbis Monasteriis & domibus Regularium dominium competere, supponitur aut insinuat. Idem constat ex eo; quòd Monachus, quidquid acquirit, Monasterio acquirit, *Autb. Si qua mulier, Autb. Ingressi C. de SS. Eccles. can. Quia ingredientibus*, 19. q. 3. Et quòd improprissime diceretur, si Monasterio non dominium, sed administrationis tantum jus acquireretur, ut rectè advertunt Sanchez *Lib.* 7. *Moral. cap.* 18. n. 10. & Tamburinus *Tom.* 3. de *Jure Abbatum disp.* 11. q. 2. n. 4.

Id ipsum, de rerum sibi oblatarum dominio Ecclesiis secularibus competente, desumitur à paritate Monasteriorum; quia, quò istis, eòdem modò Ecclesiis offeruntur: & ex variis functionibus Ecclesiasticis, quibus ejusmodi res Ecclesiarum Dos, Bona & Res ipsarum Ecclesiarum, Ecclesie facultates communes & ad Sacerdotum jus pertinentes nuncupantur, *can. Si quidam* 2. *So.* 10. q. 1. *can. Expedi.* 12. q. 1. *can. Nulli ibid.* q. 2. c. *Causa cit.* Idem satis clarè habetur c. *Episcopi* 4. de *Reb. Eccles. alien.* ibi, *Ad jus Ecclesie revocabit*, & in terminis c. 1. de *Testament.* sub cuius finem Gregorius Papa, non III. ut vulgata lectione habent, sed I. sive Magnus, non Antonio, ut eadem sonant, sed Anthemio Campanie Archidiacono, ut eruditè ostendit Gonzalez in c. 1. *citt.* n. 1. rescribens, *Quidquid*, inquit, *Ecclesie ante ipsius consecrationem fuisse cognoverit, vel in Episcopatus Ordine prædictum Episcopum acquisivisse, in ejusdem Ecclesie dominio conservetur.*

Ratio de iisdem Ecclesiis & Monasteriis est; quia ejusmodi res & bona fidelium liberalitate oblata & donata sunt ipsis Ecclesiis: licet intuitu honoris & cultus Divini ac salutis animarum; ut scilicet in ipsis Divinorum mysteriorum celebratio, administratio sacramentorum &

¶ e e a ¶ verbi

Verbi Divini prædicatio conservaretur & augetur: & Ecclesiæ ministri, per quos functiones illæ obeuntur, congruam sustentationem laborisque remunerationem acciperent: & quod superest, in alimenta pauperum erogaretur. Unde ejusmodi rerum dominium, quantumvis penes Clericorum aut Religiosorum collegia & communitates sit, non tamen omnino est absolutum, sed affectum onere atque obligatione, eas non nisi in Ecclesiæ vel Monasterii necessitates utilitatésque, ad cultum Divinum, salutemque animarum, egentium alimenta &c. impendendi, cit. Molina n. 9. & Palao Traët. 31. disp. unica p. 7. §. 3. n. 2.

Confirmat ista cit. Sarmiento n. 21. in fine ex eo; quòd una Ecclesia & monasterium &c. contra Ecclesiam vel monasterium aliud præscribat, *Illud 8. c. Cum vobis 14. Sc. de Præscript.* ex iis que una subiecta sit alteri, & inter eas detur servitus Realis, non obscurò argumentò rerum præscriptarum, subiectarum, servientium, dominii ipsis competentis, juxta *l. Tria prædia 31. ff. de Servit. rustic. præd. §. l. Usucapio 3.* junctâ Glossâ *V. Eòdem ff. de Usurp. & Usucap.*

In contrarium allata speciem majorem, quàm vim habent; quia imprimis *can. 1. & can. Qui abstulerit cirt.* ejusmodi bona non solum Christi, sed etiam Ecclesiæ res appellantur. Deinde; quia Res, Dos, Pecuniæ, Bona; Patrimonium Christi & Dei vocantur; non quòd in ejus speciali dominio sint: sed, quòd ejus intuitu & cum onere, ut in Divinum cultum impenderentur, Ecclesiis, Monasteriis &c. oblata sint: vel, quòd Christo donentur in ejus ministris, juxta illud *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* *Matth. cap. 25. V. 40.* Et demum; quòd, cum Christus, quæ homo, supremum Caput & Sponsus sit

Ecclesiæ Universalis, & Particulariſſimæ etiam, ex quibus illa coalescit, ea, quæ hinc quasi in dotem oblata sunt, quodammodo res & bona ipsius censentur & vocantur, cit. Molina n. 7.

Neque advertebantur, aut ad rem aliquid conferunt vulgi sermonibus titularum & bonorum Ecclesiasticorum appellationes; quia ejusdem usi non minus receptæ sunt phrasæ: quibus etiam ad ipsam Ecclesiam, Capellam, Monasterium *zu dem Gotts-Haus* *zu S. Michen 2c.* dicuntur pertinere: eorumque administratores *Der Rirchen-Propst* *Pröbst* *Verwalter* *2c.* nuncupantur. Unde

Dubium oritur, de bonorum Ecclesiasticorum administratione. Et generalem quidem supremamque & à Deo immediate constitutam illorum sive rerum juriumque non ad Romanam tantum, sed ad inferiores etiam Ecclesias, Monasteria cæteraque sacra & Religiosa pertinentium administrationem per summum Pontificem esse: & hinc de iis, prout ipsarum particularium Ecclesiarum &c. privata aut etiam publica Ecclesiæ Universalis necessitas aut utilitas exigere videtur, disponere liberi potest. *S. Thomæ 2. 2. q. 100. art. 1. Navarri cit. q. 1. monito 40. n. 6. & 8.* cæterorumque *IT. & Canonistarum* communis sensus & doctrina est.

Post Papam autem, & ab ipso communicata ejusmodi rerum & bonorum administratio dispensatiòque competit Episcopis cæterisque Prælatiſſimis confirmatis, *can. Quicquid 17. V. Omnium 12. q. 2. Sc.* Uti & Abbatibus, Præpositis & aliis Monasteriorum & Congregationum Regularium superioribus, *can. Nullam. 18. q. 2.* ubi Pelagius Papa, *Universa*, inquit, *que ad Divini cultus reverentiam vel ad utilitatem*

nafterii pertinent; Abbatis sollicitudo ad quem potestas tota pertinere convenit, debet adimplere. Similia habentur c. *Edoceri* 21. de *Rescriptis*, c. *Fraternitatem* 2. de *Donat.* c. *Monachi* 2. *Et c.* Cùm ad Monasterium 6. de *Statu Monach.* uti & in Regulis variorum & antiquissimorum Ordinum Religiosorum, S. Basili Reg. 7. *Et* 8. S. Augustini *pr.* S. Benedicti *passim* & præsertim *cap. 66.* Dixi, *Confirmatis*; quia administratio non est alicujus Ordinis; ac proinde Episcopis cæterisque Prælati confirmatio competit ante Consecrationem vel Benedictionem, *arg. c. Nosti* 9. *Et c. Transmissam* 15. de *Elect.* Glossa in *c. Nosti* *cit.* V. *Confirmata*, Panormit. & Barbosa in *c. Transmissam* *cit.* n. 3.

44. Abbatibus aliisque Regularium Superioribus Localibus quoad omnia, quorum sexus femineus capax est, ferè acquiparatur Abbatissæ, hisque similes monialium Monasteriis præpositæ femina; ut, sicut illi, sic etiam ipsæ Monasteriorum vel conventuum suorum bona & jura administrare illorumque negotia procurare de jure possint, Glossa in *c. Dilecti* 12. V. *Jurisdictione*, de *Major. Et Obed.* Panormit. in *c. Continebatur* 2. de *lit.* que à *Prælat.* n. 4. Navarrus *Comment.* 3. de *Regular.* n. 4. Tamburin. de *Jure Abbatiss.* *diff.* 32. q. 13. n. 2. & Donatus *Tom. 4. Prax. Regul. tract.* 8. *q. 16.* De *Jure*, inquam; quia istarum auctoritas & administrandi potestas variorum Ordinum specialibus Regulis & Consuetudine multum est restricta: & hodie passim non tantum à Conventus sui monialium consensu, sed à superioribus quoque suorum Ordinum Prælati aut diocesani Ordinariis, in plerisque alicujus momenti negotiis pendet, ut *cit.* Tamburin. n. 3. observat.

46. Simili modo & Jure speciali in Mo-

nafteriis virorum, rerum communium administratio & super iis agendi facultas non ita libera, sed restricta est à Prælati aliisque eorum Præpositis, præsertim in Religionibus Mendicantium: in quibus superiores Locales v.g. Priores, Rectores, Guardiani à Præpositis Provincialibus: isti verò ab uno totius Ordinis Generali, tanquam à Capite, sicut quoad jurisdictionem potestatemque in sibi subditos Religiosos exercendam, sic etiam quoad Ecclesiarum, Monasteriorum & Collegiorum; rerumque & jurium ad ea pertinentium administrationem pendent. Quanta autem hujusmodi subordinatorum superiorum cujusque administrandi potestas sit, non tam ex communi quàm speciali Jure, sive cujusvis Religionis Constitutionibus, privilegiis & receptis consuetudinibus est desumendum. Et quidem in Societate JESU, cujus subordinati superiores à supremo sive Præposito Generali plurimum dependent, Suarez *Tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 5. Ad cognoscendam*, inquit, *Unjuscujusque Prælati facultatem, utendum potius est affirmativè quàm negativè Regulæ*, id est, id unumquemque potest, quod sibi concessum est: non verò, quod sibi non est prohibitum.

Prælati secularibus Episcopò inferioribus similem rerum, ad Ecclesias suas spectantium, administrationem, Rectoribus parochiarum & in his Canonice institutis vicariis perpetuis, cum Felino *in c. G. Perpetuus* 12. de *Fide instrument.* n. 4. tribuunt Wagnereck in *Exegesi c. Edoceri* *cit. not. 6.* & Pirrhing ad *Rubr. de Judiciis* n. 36. & obtinere Rectores Hospitalium aliorumque locorum piorum, autoritate Episcopali erectorum, supponi videtur *Clement. 2. de Relig. domibus*. Quamvis illorum & istorum potestas hodie non sit ita libera & abso-

luta

luta, multumque pendeat ab Episcopis: & in multis locis à Principibus aut aliis Magistratibus secularibus. Imò multarum parochiarum res temporales in pluribus Provinciis Germaniæ præsertim nostræ administrantur per Seculares, vulgò die *Kirchen-Vorbst / Kirchen vnd Heiligen Pfleger* / ut ex *Recessu Concordat.* inter Serenissimos & Potentissimos Principes Baviaræ nostræ ex una, & Reverendissimos ac Celsissimos dioecesium Ordinarios ex altera parte 1583. initorum *Art. 1. §. Damit aber* / constat: & de rebus ad illas aliasque Ecclesias & Capellas pertinentibus contractus cum Ecclesiastici & Secularis Magistratus consensu celebrantur, ut ex iisdem Concordat. *Art. 5. §. Zu den Contracten* habetur.

ARTICULUS II.

De Bonis Clericorum Patrimonialibus, vel quasi.

SUMMARIUM.

18. Clerici domini sunt bonorum verè,
19. Et quasi Patrimonialium;
20. Et hac inter etiam quotidianarum Distributionum,
21. Et aliorum ex talibus emptorum.
22. Ex ipsius Ecclesia bonis empta ad istam pertinent:
23. Etiam si empta sint nomine alieno.

Patrimonialium suorum bonorum dominos hodie ipsos clericos esse; ac proinde de iis ad quascunque causas, tam inter vivos quam per ultimam voluntatem, disponere, perinde ut laicos, liberè posse, Catholicorum DD. nemo facile ausit inficiari: & constat ex *can. Episcopi 19. De. 12. q.*

1. can. Quicumque ibid. q. 3. l. 1. & l. Quia nos 9. de Testam. Ratio est, quia Clericatus vel Ordinis assumptio rerum suarum dominio se non abdicat ipsi, neque privantur à Jure; cum proprium habere discretè permittantur, *can. Certè ego q. 3. cit. Hodiè*, inquam; quia in primitiva Ecclesia clericos nihil proprii habuisse: sed omnia omnibus communia, & pro cujusque necessitate inter eos distributa fuisse, patet ex *can. Expedit. 13. & can. Videntes 12. q. 1.*

Quasi-Patrimonialium quoque bonorum quorumcumque, ac proinde etiam Distributionum quotidianarum dominos clericos esse, cum S. Thoma 2. 2. q. 1. *art. 7. Panormit. in c. Cum esse 10. de Testam. 26. Covarruvia in c. Cum in Officiis 7. eadem Rubr. n. 7.* magis consensu docent ceteri TT. & Canonista. Ratio est; quia hujusmodi bona accipiunt tanquam stipendium congrue sustentationis, *c. Cum secundum 16. de Prob. & dignit.* sine ullo onere, ea ex toto vel ex parte in pauperes vel alios pius usus expendendi, non obscurè indicio, domini hujusmodi bonorum in eos translati: quod de Distributionibus indubitata desumitur ex *c. Unico, de Clericis non resid. in 6.* ubi Bonifacius VIII. *Quis non rō*, inquit, *aliter*, quam si Divini Officii adfuerit, *de Distributionibus ipsi quidquam receperit, verum sic acceptorum dominium non acquirat*: quibus verbis à præsentibus Distributionum recipientium dominium acquiri, aperte supponitur & aperte insinuat, ut ibi notat Francus *n. §. Geminian. n. 3. & Barbosa n. 22.*

A communi hoc DD. sensu divergit Navarrus *de Eccles. Rebus. q. 1. Altitudo 30. n. 2.* Clericis Distributionum dominium negans; quòd Ecclesie intuitu non minus, quam Beneficiales rectius acquirant.

acquirantur: imò his five fructibus, quos passim *Grossos* vocant, subrogentur, & ex decreto Trident. *Sess. 21. cap. 3. de Ref.* in Ecclesiis, in quibus non erunt, præbendarum proventibus sint detrahendæ; imò aliquando in ipsis solis præbenda consistat, ut ex *c. Olim 16. de V. S.* colligitur & cum *Glossa in c. Unic. cit. V. Receptis* notat *cit. Franc. n. 8. & in c. Olim cit. Barbosa n. 4.* Sed hæc leviora sunt, quam ut Navarri Opinionem persuevant partim; quia Distributiones personæ potius, quam Ecclesiæ intuitu acquiruntur: & revera non subrogantur fructibus grossis; cum ab his sint divestæ; in calu enim decreti Tridentini fructus in distributiones converti potius, quam has illis subrogari, notat *Moneca de Distribut. p. 3. q. 1. n. 23.* partim quia; etiam si fructibus grossis subrogarentur; ac proinde præbendæ rationem haberent; nihilominus clerici ipsarum perceptatum dominium consequerentur, ut *Art. sequenti* statuetur. Hic

21. Resolvendum breviter est dubium, ad quem pertineant res ab Ecclesiarum Prælati emptæ. In quo inter DD. ferè convenit, ab ipsis cæterisque rerum Ecclesiasticarum Administratoribus ex verè aut quasi Patrimonialibus bonis empta i-
22. plis: ea verò, quæ ex ipsarum Ecclesiarum bonis, quorum solam administrationem habent, empta sunt, Ecclesiis acquiri; ut ab his vindicari possint: quantumvis non Ecclesiæ suæ, sed proprio Prælati vel clerici, imò alienò alicujus consanguinei vel amici nomine emptæ fuerint, juxta *c. 1. & c. Presbyter 2. c. Inquirendum 4. hæc Rubr.*

23. Neque huic adversatur; quòd à procuratore vel administratore ex pecuniis alienis etiam ejus, cujus res administrat, suo nomine empta & tradita acquirantur emptori, l. i. c. *Si quis alteri vel sibi;*

quia, sicut in pupillo & minore, l. *Si curator 3. C. Arbitr. tutela* & in milite l. *Si ut proponit 8. C. de R. V.* sic etiam ex speciali privilegio aliud obtinet in Ecclesiis; *can. Fixum, 12. q. 5. & c. Inquirendum 4. cit.* & secundum Panormit. *in c. cit. n. 5.* etiam in Clerico, tanquam Christi Domini Cœlesti militiæ adscripto & participante privilegia concessa militi seculari, *Glossa in l. Miles 6. V. Facere potest, ff. de Re judic.* ex quorum proinde pecunia administrator rem etiam alienò nomine emens, eam Ecclesiæ clerico, pupillo &c. non sibi aut alii acquirat ex dispositione Juris, emptionem factam præsumptis aut ratam habentis in commodum ejus, in cujus commodum fieri debebat, *Bruneman. in l. Ex ea 64 C. de R. V. n. 4.*

ARTICULUS III.

De Bonis eorundem Beneficialibus.

SUMMARIUM.

24. *Horum Clerici habent administrationem.*
25. *Dominium verò ipse multi negant;*
26. *Et, si divites sint, aliqui etiam usum.*
27. *Distinctio inter quatuor Ecclesiæ tempora.*
28. *Hodie Clerici etiam divites bonorum beneficialium usum habent;*
29. *Ipsos istorum etiam dominos esse;*
30. *Ex Concilio Tridentino & Apostolicis Constitutionibus;*
31. *Ex Titulorum Beneficialium institutione;*
32. *Et Ratione ostenditur.*
33. *Sensus, quòd ejuamodò bona Patrimonium*

- monium Christi & Res pauperum,
- 34. Et Clerici Eures Sacrilegi &c. vocantur.
- 35. Ratio ipsius prohibita testamentificationis.
- 36. Reditus superfluos in pauperes &c. expendere,
- 37. Secundum aliquos Naturali Jure tenentur.
- 38. Verius ea obligatio immediate neque ipso neque Divino Jure,
- 39. Ex Justitia,
- 40. Charitatis aut Misericordia,
- 41. Vel Religionis virtutibus clericos obligant:
- 42. Sed Lege Ecclesiastica imposta est.
- 43. Pauperum nomine qui veniant.
- 44. Clerici domini sunt rerum, ex re-ditibus illis emptarum:
- 45. Qua tamen propria Ecclesia sunt relinquenda.
- 46. In dubio res aliquando ex iis,
- 47. Aliquando ex Patrimonialibus re-ditibus empta presumitur.

24. **D**E his sive Reditibus, quos ex beneficiis suis Ecclesiasticis Clerici annuatim percipiunt, dubium ingens & famigerata controversia est inter DD, illorum enim penes istos solum administrationem & dispensationem; ut ex illis sibi & familiae statui suo convenienti ad sustentationem necessaria sumere possint; superfluos autem erogare in pauperes, vel aliis piis causis applicare, vel in Ecclesiae suae Utilitatem convertere teneantur: dominium autem

25. vel penes Christum Dominum, vel penes Particulares aut saltem Universalem Ecclesiam esse, cum Gratiano post *can. Nulli 27. §. Si ergo 12. q. 1.* Archidiacono in *Summa dist. 44. n. 5.* Navarro de *Eccles. Redit. q. 1. monitio 21. n. 1.* &

VV. Canonistis permultis ex RR. dicitur Marfil. de *Redit. Eccles. p. 3. cap. 34.* Moneta de *Distrib. p. 3. q. 1. n. 14.* Azor *p. 1. Instit. lib. 7. cap. 21.* Prima igitur & §. *Quod attinet* Cotelus *Respons. Moral. Lib. 1. q. 70. §. 7.* & ab his relati alii.

Moventur primo; quod quidem Clerici ex Ecclesiae bonis habent, Patrimonium Christi, *c. Cum servandum 11. de Prob. §. dignit.* Jus & Res Ecclesiae, *can. Episcopi, 12. q. 1. can. Similiter 11. can. Quia juxta 59. §. 1. Patrimonium & Res pauperum, can. cit. §. can. fin. q. 1. cit.* Elurientium Paris & egentium animarum Tributum, *can. Decretum 118. dist. 47. §. c. Tunc nobis 26. de Decimis &c.* vocetur. Cum ergo eodem rei dominium penes duos simul esse non possit, *l. Si ut certo §. §. 15. ff. Commodati*, Clerici reddituum Beneficialium domini non erunt.

Secundo; quia ejusmodi redditus sive bona in profanos usus expendendo clericis Furtum, Rapinam, Sacrilegium committunt, *can. fin. cit. can. Qui lapsi 12. q. 2.* manifestò indicio, Clerici ipsorum non dominos, *l. 1. §. fin. par. etiam Gloisâ V. Reiff. de Furtis*: sed dispendiosos duntaxat esse & administratores: quales etiam appellantur, *can. Quia 12. q. 2. can. Expedit, can. Vicentini 11. §. c. Fratritatem 2. de Donat.*

Tertio; quia de ejusmodi bonis statari, *c. 1. c. Cum in officio 7. c. Quia nos 9. de Testament.* & inter vivos etiam liberè & ad quascunque causas disponere non possunt, ex decreto Trident. *Sess. 25. cap. 1. de Reformat.* ubi ejusmodi bona in profanos usus expendendo, aut con-sanguineos non indigentes de ipsis alienando, graviter peccare dicuntur: quod notatur dominii & Regulae *l. In re mandata 21. C. Mandati*; cuilibet de rebus suis

liberè disponendi facultatem tribuenti, videtur repugnare.

26. Non defuerunt etiam, & ab Archidiscipulo in *can. Clericos* 1. q. 2. n. 2. referuntur DD. qui Clericis, patrimonio ad congruam sustentationem sufficiente instructis, beneficia non conferenda: & ista obtinentes de illo, non de istis vivere teneri, existimarent propter text. *can. cit.* ubi relatus S. Hieronymus ad Damalium Papam scribens, *Clericos*, inquit, *convenit Ecclesie stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum non suffragantur bona: qui autem bonis parentum aut suis sustentari possunt, si quis pauperum est, hoc est, de bonis Ecclesiasticis aliquid accipiunt, Sacriligium profectò committunt.* Consonant S. Prosper *can. Pastor* & *can. Si quis, q. cit.* & S. Augustinus ad Bonifacium Comitem *Epist. 50. can. fin. 12. q. 1. relati.*

27. Quid hodie de ejusmodi sive Beneficialium bonorum dominio sentiendum sit, satis expeditum reddet distinctio inter quatuor tempora Ecclesie. Primum istius nascentis, quò Christiani, tam laici quam Clerici, Evangelicam Perfectionem fere, ut hodie Religiosi, sectantes rerum suarum dominio se abdicarunt: tertiumque venditarum pretia ad pedes Apostolorum, in suas ceterorumque Fidelium necessitates impendenda, depoluerunt, ut refertur *Act. cap. 4. v. 37.* Alterum, quò fidelium numero in dies & in immensum crescente, cum in communi vivere & necessaria suppeditari omnibus commodè non possent, laici bona propria ex Ecclesie voluntate retinebant: clerici verò, adhuc in communi vita persistentes & nihil proprium habentes, ex prædiorum Ecclesie donatorum proventus aliisque oblationibus & elemosynis sustentabantur, *can. Expedi & can. Videntes cit.* Tertium, quò,

primò fervore & Perfectionis studio remittente, clerici sua patrimonialia & aliunde quæsita bona ex Ecclesia permissione retinebant ita; ut ipsi viverent ex propriis: ceteris autem clericis, perinde ut pauperibus laicis, necessaria sustentatio, sicut prius, ex Ecclesie proventus ministraretur, juxta *can. Clericos* 3. *Sc. 1. q. 2. can. Certè ego* 18. & *can. Episcopi*, 12. q. 1. Quartum, quò, institutis à Simplicio Papa Titulis Parochiarum, istarum singulæ singulis clericis attributæ & Ecclesiarum bona quoad redditus seu proventus annuos distributa sunt in quatuor partes: quarum una Episcopo, altera parochis, tertia fabricæ, quarta denique peregrinis & pauperibus est deputata, *can. Vobis* 23. *S. Ex qua, can. Vulturne* 25. *can. Quatuor* 27. & *can. De redditibus* 12. q. 2. Barbofa *Juris Ecclesiast. Lib. 3. cap. 17. à n. 3.* & Fagnanus in *c. Si quis sanctè* 5. *hæc Rubr. n. 15.* Hoc præmissò

28. Censeo imprimis clericos, retentò aut in alios usus collatò propriò patrimonio, de beneficiorum suorum fructibus vivere posse, ut cum Innocentio SS. Canonum Interprete & Romano Pontifice ejus nominis IV. in *c. Episcopus* 4. de *Præb. & dignit. n. 1.* ubi, *Non credimus, inquit, quòd, qui habet beneficium, vivere debeat de patrimonio,* sed de Altari: cum Felino in *c. Postulasti* 27. de *Rescript. n. 2.* Panormit. in *2. disput. q. 4. n. 12.* Navarro *cit. q. 1. monito* 30. & Covarruvia in *c. 1. de Testament. n. 2.* communis doctrina est T. T. & Canonistarum fere omnium, pro se allegantium D. Thomam 2. 2. q. 185. *art. 7.* Quibus suffragatur Consuetudo Ecclesiarum Clericis, sicut pauperibus, sic & divitibus beneficia conferentium, & deputantium stipendia, ex quibus percipiant sustentationem. Idem suadet ex Divinis

F f f

Oraculis

Oraculis deprompta ratio; quia decet, ut qui altari deservit, de Altari vivat; cum nemo militet suis stipendiis unquam, 1. Corinth. cap. 9. v. 7. & Dignus sit operarius mercede sua, 1. Timoth. cap. 3. v. 18. Similia habentur can. Charitatem 45. in fine 12. q. 2. c. Cum secundum cit. c. Extirpanda 30. de Prab. & dignit. & præsertim can. Clerici, 1. q. 2. ubi, cum decernitur, clericos omnes, qui Ecclesie deserviunt, stipendia laboribus suis debita, secundum servitii meritum consequi debere, clarè indicatur, non solum pauperibus, sed etiam divitibus, laborum & meritorum potius, quam facultatum habitâ ratione, sustentationem ab Ecclesia præberi, ut Panormit. cit. n. 12. observat.

Neque aliud evincitur textibus allegatis in contrarium; quia, vel loquuntur de portione pauperibus designata, vel secundum statum primitivæ Ecclesie: quò beneficiorum Tituli nondum erant constituti, & Ecclesiarum redditus, quòd exiles essent, non dignitatis aut meritorum, sed solius necessitatis & indigentie habitâ ratione, parcius distribuebantur, can. Dilectissimis 2. can. Quia tua 8. Sc. 12. q. 2. ut cum cit. Felino n. 6. & S. Thoma in 4. dist. 38. q. 9. art. 2. advertit Covarruvias in c. 1. cit. n. 3. & 4.

Deinde censeo, bonorum Beneficialium etiam superfluum dominium esse penes clericos beneficiatos; quod ex TT. cum S. Thoma cit. art. 7. Bannez 2. 2. q. 32. art. 6. Molina Tract. 2. de 1. & I. dist. 143. n. 3. Haunold. Tom. 1. de 1. & I. Tract. 4. à n. 68. ex ICT. is cum Glossa in can. Duo sunt 7. V. Proprietatem, 12. q. 1. Covarruvias in c. Cum in Officiis cit. n. 7. Sarmiento de Redit. Eccles. p. 4. cap. 6. n. 2. Marsilius Tract. ebdem p. 2. cap. 35. Valquez de Redit. cap. 1. §. 2. dab. 1. Barbolæ cit. cap. 17. n. 10.

Gonzalez in c. fm. hic n. 6. & ab his loci alii Divini humanique Juris Interp. ac DD. defendunt & desumunt

Primo ex variis textibus Juris, & Imprimis quidem ex Amb. Presbyteri C. de Episc. & Cleric. ibi, Quomodolibet ad dominium eorum & c. fm. de his qui à Pralat. cujus textu canonicorum redditus vocantur Sui. Deinde claris & decretis Reformatoris S. Synodi Trident. Sess. 23. cap. 1. quò, cum clerici non residentes pro rata temporis ætatis à suis Ecclesiis fructus suos non teneant, & Sess. 24. cap. 12. quò, cum eadem pro rata temporis privandi dicantur fructibus, quos ratione præbende & residentie lucrati sunt & fecerunt suos, manifestè indicatur, fructuum dominium à residentibus acquiri; quia Fructus sui facere eosque lucrari idem omnino est, quòd Dominium acquirere, patet et c. Unico V. Qui verò, de Cleric. non resid. in 6. verbis, Rerum receptorum dominium non acquirat, nec eas faciat suas. Denique & clarissime ex constitutione huiusmodi III, quæ incipit Cum sicut 6. Junij 1590. editâ, reddituum beneficialium dominium sicut negante, antequam sententia sit diserte adstruente, postquam sunt percepti. Eius tenor ita habet. Non accedentes, fructus, pecunias & alia, occasione Ecclesiarum & beneficiorum ecclesiasticorum pro tempore procuratorum licet, postquam ad manus beneficiorum pervenerunt & c. non ulterius in ecclesiasticis, sed potius ipsorum beneficiorum propriis & ab eis acquiri debent judicari, & propterea quodammodo profanaribus & profanis haberi & c. non verint, nihilominus donec ipsi beneficiati pecunias non exegerint & fructum non perceperint & c. semper ipsarum Ecclesiarum & verè Ecclesiasticis esse & competere debere & c.

31. Secundò ex ipsa institutione Titulorum Beneficialium, & bonorum Ecclesiasticorum, quæ communia erant, divisione: quæ, dum reditus divisi sunt in quatuor portiones, istarumque tribus Episcopo, Fabricæ & Pauperibus relicta, quarta particularibus clericis assignata & adjudicata fuit, *can. Quatuor* 27. *can. de Reditibus*, 12. q. 2. hæc istorum propria est facta *arg. S. fin. Instit. de Offic. jud. §. l. 1. C. Communia utriusque jud.* juxta quem textum Divisionis vim obtinet Emptionis.

32. Tertio ex ratione, partim; quia Clerici beneficiorum suorum fructus obtinent, tanquam stipendium, ipsis ab Ecclesia attributum ad congruam sustentationem & retributionem sive præmium laboris; beneficium enim propter officium datur *c. fin. de Rescript. in 6. partim*; quia fructus beneficialis clericis omnes obveniunt titulo beneficii & promiscuè, inter superfluum & ad sustentationem necessariam partem non distinguendò, argumetò non obscuro, ipsis idem juris in utraque; & dominium, sicut istius, ita etiam illius acquiri. Demum partim etiam; quia, si ejusmodi fructuum non domini sed dispensatores tantùm essent, eos contra Ecclesiæ voluntatem ad profana expendendò, tam ipsi quàm alii, quibus eos dant, ad repetitionem aut restitutionem obligarentur & compellendi essent ab Ecclesiæ Prælati, *arg. c. Si quis 6. de Reb. Eccles. alien.*

33. Deducta in contrarium speciosa magis quàm efficacia sunt. Primum quidem & secundum; quia *text. cit.* ejusmodi bona, Patrimonium Christi &c. vocantur & fuerunt, antequam eorum certa portio clericis deputata esset per divisionem: vel etiam post hanc, quoad partem Ecclesiæ fabricæ & pauperibus attributam, aut priusquam particularibus

clericis applicarentur per institutionem, quæ beneficium in Titulum acceperunt. Eodem modò Furtum, Rapinam & Sacrilegium committebant olim Clerici, ultra necessitatem aliquid accipiendò & expendendò ante illorum divisionem: & post hanc etiam in profana expendendò bona ipsarum Ecclesiarum, quorum dispensatores tantùm erant & procuratores, *c. Edoceri 21. de Rescript. & c. Fraternalitatem cit.* Accedit; quòd sacri Canones & SS. PP. præsertim S. Bernardus *Epist. 2. & 42.* atque alibi ejusmodi clericos *Fures*, quin & *Homicidas pauperum* vocandò, sæpe usi sint iustà quidem, sed Oratoriâ exaggeratione: quali aliquando etiam in avaros laicos invehi consueverunt; quòd ab ipsis in extrema aut valde gravi necessitate constituti pauperes negligenter. Ita DD. *cit.* cum S. Thoma *cit. art. 7. ad 2. & 3.* ubi, cum Clericorum bona non omnia in pauperum, sed in alios etiam usus expendenda asseruisset, sententiam S. Hieronymi *can. Clericos cit. & can. Quoniam*, 16. q. 1. relati, & quidquid clericis habent pauperibus tribuentis, intelligit de Articulo necessitatis: quò pro redemptione captivorum, necessitatibus pauperum, etiam vasa cultui Divino dicata distrahantur, *can. Aurum*, 12. q. 2. quia tali casu bona illa pauperibus communia evadunt.

34. Tertium autem; quia imprimis testamentificationem non habent impuberes & alii, *pr. & §. 1. Instit. Quibus non est permiss. test.* licet bonorum suorum domini sint, juxta illud S. Gentium Doctoris, *Quanto tempore heres parvulus est, nihil differt à servo; cum sit dominus omnium*, Galat. cap. 4. v. 1. Deinde; quia ejusmodi bona superflua ad pios usus applicare Clerici jubentur partim; quòd id personas Ecclesiasticas præ aliis & ad Fidelium laicorum exemplum deceat:

deceat: partim; quòd hâc spe à fidelibus oblata & ab Ecclesia liberalitèr ipsis sint deputata. Denique; quia de illis testari specialiter prohibentur, non ob defectum dominii: sed ex iisdem causis: atque etiam, ut minus intenti sint congerendis opibus, & magis pròni ad eleemosynas & alias pias causas, ut rectè observat *cit. Haunold. n. 82.* Unde

36. Dubium secundò & maximi præjudicii ac momenti controversia est de Jure, quò bona seu redditus Beneficiales superflui in pauperes aliòsque pios usus sunt impendendi. Illos enim in hos impendendi obligationem in Naturale Jus refundunt non pauci & magni nominis DD. inter quos tamen non modica diffensio est, in qua Virtute & Naturali ratione ea obligatio fundetur. Et Navarrus quidem *de Redit. Eccles. q. 2. monito 7. n. 1.* eam Justitiæ obligationem esse contendit; quòd abundantes redditus ac proventus ab Ecclesia clericis assignati sunt sub tacito pacto modòve & cum onere eos, qui honestam eorùmq; statui convenientem sustentationem excedunt, erogandi in pauperes, aliisve piis causis applicandi. Alii eam fundari, ajunt, in Lege Charitatis & Misericordiæ, clericos beneficiatos præ aliis adstringentis, *can. Quia juxta 59. & can. fin. 16. q. 1.* juxta illud Servatoris, *Venerunt amen quòd superest, eleemosynam date, Lucæ cap. 11. v. 41.* Quidam cum Card. de Lugo *Tom. 1. de I. & I. disp. 4. n. 16.* eam obligationem esse volunt Religionis; quòd redditus illi quodammodo sint Patrimonium Christi & à S. Synodi Trident. *Sess. 25. cap. 1. de Reformat.* vocentur *Res Dei*, sive Deo ad ejus cultum oblatae à fidelibus & juxta istorum intentionem clericis assignatae; ut de ipsis disponerent, sicut disponi convenit de Patrimonio Christi Do-

mini: quòd clerici præstant, si ex illis ipsi tanquam Divini cultus Ministris accipiant congruam sustentationem & quòd superat, in alimenta pauperum aliòsque Divinum cultum spectantes usus convertant.

At multò verisimiliùs, eam obligationem Naturalis aut Divini Juris esse, cum Soto *Lib. 10. de Justitia q. 4. art. 3. & cit. Sarmiento p. 2. cap. 1. & 2. & p. 4. cap. 1.* negant Lessius *Lib. 1. de I. & I. cap. 4. n. 47.* Palao *Tract. de disp. 1. p. 6. n. 5.* Haunold. *cit. n. 82. & TT. ac ICT, RR. alii.* Moventur opininà & utrâque magni ponderis rationes.

Una est; quòd, si ea obligatio esset Juris Naturalis aut Divini, à potestate humana, saltem per legem vel Constitutionem concedi non posset facultas de ejusmodi bonis ac redditibus ad quacunq; causas liberè disponendi, de ipsis testandi & clericis intestatis in iis succedendi, cum; quia Naturale Jus immutabile est, §. *Sed Naturalia 11. Inst. de I. N. G. & C.* tum verò; quia interest superioris, *can. Inferior 4. disp. 11. c. Cum inferior 16. de Majorit. & obli.* ac proinde humana potestas quæcumq; relaxare, præsertim per Constitutiones, legis totam aliquam communitatem adicientis, vim obtinentem, nequit obligationem Naturali vel Divino Jure introductam: ea autem de Beneficialibus patet inde, ut de propriis ac Patrimonialibus bonis, liberè disponendi testandiq; in iisque ab intestato succedendi facultas clericis quibuscunq; in Urbe istisq; restrictu ad decem millia tribus diversis seculis liberaliter indulta & stabilita est Constitutionibus Apostolicis, legis rationem & vim habentibus, à Sixto IV. quæ incipit *Esti universis, edita Calend. Jan. 1474.* à Julio III. quæ incipit *Copromes edita Idib. Maij 1550.* ceteris hinc cultibus

volentis tenor est *Motu proprio Sc. Sacerdotum & Ordinarum*, quod de cetero perpetuis futuris temporibus omnes & singuli Urbis incolae cujuscunque dignitatis, status, gradus &c. de omnibus & singulis eorum immobilibus, mobilibus & se moventibus bonis, pecuniis, juribus, actionibus & rebus aliis in dicta Urbe & ejus districtu pro tempore existentibus, & per eos etiam ex fructibus, redditibus & proventibus Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum &c. acquisitis, cujuscunque quantitatis, qualitatis, summae, valoris ac pretii seu conditionis existant, tam donatione inter vivos quam causâ mortis, etiam testamentis, codicillis, fideicommissis, legatis aut quavis alia ultima voluntate in favorem consanguineorum & affinium suorum & quarumvis aliarum personarum disponere &c. licitè valeant. Quodque, si ab intestato decefferint, eorum bona, pecunia, jura, actiones & res hujusmodi ad ipsorum pro tempore proximiores agnatos & alios, qui eis, nisi beneficiati essent, de jure succedere deberent, aliâ juxta juri dispositionem devolvantur. Eadem facultas iisdem à Paulo V. Constitutione, quæ incipit *In eminenti*, 18. Aprilis 1606. editâ, amplissimè est confirmata.

Altera ratio est; quia, si ea clericorum beneficiorum obligatio immediata descenderet ex Jure Naturali vel Divino, ullâ quanticumque etiam immemorialis temporis Consuetudine acquiri non posset: facultas bona beneficalia superflua donatione inter vivos & mortis causâ aut quacunque voluntate ultima relinquendi consanguineis aut in illis ab intestato succedendi, per textum & Glossam in c. *fin. V. Naturali Juri, de Consuetudine*, & ad hanc Rubr. tradita n. 38. Cujusmodi tamen Consuetudinem saltem immemorialem sibi constare, argumentò ex ante allegatis constitutionibus Apostolicis de-

promptò proximè sequentibus *Tit. 26. § n. 36. & Tit. 27. § n. 26.* statuetur.

Non parùm roboris his rationibus, iisque suffultæ Sententiæ addit, & admittit Oppositæ; quòd inter istius Assertores non conveniat de ejus, quam propugnant, Opinionis fundamento, sive Naturali ratione ac Virtute, ex qua proposita superfluis redditus piis causis applicandi obligatio oriatur.

Neque enim ea oritur ex Justitia; 39. cum enim juxta deducta à n. 29. clerici ipsâ bonorum Ecclesiasticorum partitione & quartæ partis per titularum Beneficialium institutionem sibi factâ assignatione ejus perceptæ consequantur dominium, de ipsis ad quascunque causas validè & sine Justitiæ læsione disponunt: & si, quod congruam sustentationem excedit, in consanguineos & similes prophanas causas conferendò Justitiam violarent, tam ipsi, quam ii, in quos id contulerunt, ad restitutionem tenerentur, & compellendi ex officio essent à Prælati, superioribus suis Ecclesiasticis: quòd tamen hi sine ullo officii sui neglecti scrupulo non præstant, atque, ad id ex officio præstandum, se obligatos non agnoscunt.

Neque etiam ex Virtute Charitatis & Misericordiæ, cum; quia clerici superfluis redditus in alia quam Charitatis & Misericordiæ opera, v.g. in cultûs Divini augmentum, in fundationem beneficii vel altaris & his affines usus alios impendendò obligationi suæ satisfaciunt: tum verò; quia ex mente D. Thomæ 2. 2. q. 32. art. 5. lex Charitatis & Misericordiæ ad subveniendum pauperibus graviter non obligat, nisi hi in extrema vel gravi necessitate sint constituti: quâ necessitate cessante, cum de redditibus superfluis consanguineos ditandò & alias causas prophanas promovendò nihilominus graviter peccent, illam obligationem immediatè

diatè in alia quàm Charitatis lege ac Virtute fundari, est necesse.

41. Neque etiam ex Virtute Religionis; quia reditus beneficiales in se non sunt res sacrae vel benedictae, ut calices ceteraque vasa & vestimenta sacra, sed merè temporales; ut non appareat, quâ ratione eorum ad prophanas causas applicatio perinde, ut rei sacrae vel benedictae ad eas abusus, Religioni adversetur. Huic certè non adversatur, ratione piæ intentionis fidelium, à quibus oblati sunt Deo; ut in istius cultum convertantur; quia in hunc reditus illi conversi jam intelliguntur per assignationem factam clericis, ratione eorum ad spirituale officium & servitium Divinum obligatis; eùm his facta assignatio ultimata executio sit fidelium intentionis, sicut talis est similis reddituum Ecclesiasticorum portionis assignatio cantoribus, æditibus & aliis officialibus ac ministris laicis facta, intuitu temporalis servitii Ecclesiæ exhibendi: & si ejusmodi assignatio intentionis fidelium ultimata executio non esset, ejus etiam reddituum beneficialium partis, quàm clerici frugaliter vivendò comparferunt, & ipsorum quoque honorum quasi Patrimonialium in prophanos usus infumptio Religioni adversaretur; quia Parsimonia & quasi Patrimonialia bona ejusdem, cujus reditus beneficiales superflui, rationis sunt ac naturæ, *citt. Pirching n. 11. & Hauldus n. 48.*
42. Verisimiliùs itaque est, superfluos reditus in pios usus impendendi obligationem clericis beneficiatis præceptò Ecclesiasticò *cc. supra citt.* impositam; ut Ecclesiæ in se liberalitatis memores, ad liberalitatem in pauperes ac pias causas alias exercendam proniores & congerendis opibus minus intenti essent.
43. Pauperum autem & Piarum causarum nomine secundum Doctorem Angelicum

art. 7. cit. & communem aliorum doctri-
nam in hac materia veniunt quædamque personæ, ad victum aut vestitum necessaria non habentes, & quæcumque operta pia tendentia ad cultum Divinum. Quare beneficii sui reditus, ut oportet, impendere videbitur clericus, si ex iis Impiis ipse accipiat sustentationem; quæ tantum suæ personæ & familiæ alimentis & salariis, *can. Studeat 36. in fine. diff. 10.* sed etiam honestas & statui suo convenientes recreationes, hospitalitatem & moderatas, ac præsertim ex causa Remuneracionis factas donationes comprehendit, *Navarrus cit. q. 1. monito 36. n. 1. 1. Ceterum.*

Deinde, si ex iis aliat liberos suos, non solum ex legitima conjuge susceptos ante Clericatum, sed etiam post hunc legitime natos, *Navarrus de Spol. Cleric. 19. n. 10. & Petr. Barbosa in l. 1. ff. de Solut. matrim. p. 4. n. 133.* imò etiam si bonis aliunde deficientibus, hujusmodi filii conferat dotem, *Navarr. 4. cit. n. 10. D.olina Tract. 2. de J. & J. diff. 136. n. 11. & August. Barbosa Lib. 3. Jur. Eccles. cap. 17. n. 39.* eùm quia hoc Pietatis & Memoriariorum est opus; tum verò; quia doti succedit loco alimentorum, *Bald. Novall. de Dote p. 6. privileg. 16.* ut adeo, licet hujusmodi filii præstare alimenta, sic eam dotare possit.

Demum, si quæ superflua liberaliter expendat in elemosinas & alimenta pauperum: ex iisque juvet consanguineos & familiares; ut secundum decentiam statûs sive conditionis suæ vivere (non statum suum ad majorem splendorem attolere, superbe & luxuriose vivere &c. *Sylvester V. Clericus 4. n. 11. V. Decret. quintò*) possint, *can. Omnia, in tit. Glossa V. Ut mercede, diff. 31. & c. 1. de Cohabit. cleric. & mul. Felinus in c. Paph. lasti cit. n. 6. V. Et hoc, & Panor. in c. Perro*

Peruenit 3. de Arbitr. n. 1. vel in Templorum & Altarium ornatus, pias fundationes, & similia opera impendat, secundum S. Thom. art. 7. & Fagnanum à n. 17. rem hanc latè expendentem.

44 Dubium tertio est de rebus, à Clerico emptis ex redditibus Beneficialibus superfluis. Earum enim dominium non emptori, sed ipsi Ecclesie acquiri existimat cit. Sarmiento p. 3. cap. 2. ductus can. Placuit, 12. q. 3. & inde desumpto c. 1. h. de Rubr. juxta quos textus à clerico aliunde, quam ex proprio patrimonio quaesita bona Ecclesie esse debent. Verum, quia bonorum sive reddituum beneficialium dominium clericis jam attributum, sicut hos, sic etiam ex ipsis à clerico suo nomine emptos non solum equos, vestes libros, aliisque utensilia & mobilia sequemur: sed etiam domos, hortos, vineas, aliisque immobilia in ipsorum dominio esse, non malè defendunt alii, id deluentes partim ex Regula, quòd subrogatum sapiat naturam ejus, cui subrogatur, c. Ecclesia 3. junctà Glossa in it. Ut sit pendente &c. partim ex Constitutionibus Pauli & Pii IV. editis 25. Octobr. 1556. & 3. Aprilis 1560. quibus hujusmodi bona accensentur Spoliis Clericorum, cedentibus fisco Pontificio, sive Camera Apostolica: quæ bona ad ipsas Ecclesias spectantia sibi vindicare nequit. Unde in contrarium allegati textus vel equandi sunt de rebus emptis ex bonis ipsarum Ecclesiarum, vel istarum nomine ex beneficialibus bonis: vel de Episcopis aliisque clericis, non habentibus proprios & ab Ecclesiarum redditibus distinctos proventus Beneficiales: vel, si tales habent, dicendum est, ex ipsis empta relinquenda esse propriae Ecclesie, juxta c. Ut quisquis 3. & huic post mortem cedere, juxta c. Relatum 12. de Testament. 45. nisi aliis debita sint jure Spoliorum.

In casibus dubiis, an res de propriis clerici vel de Beneficialibus ejus bonis empta sit, observanda est distinctio. Et quidem, si clericus tempore acquisiti beneficii nullum aut tenue patrimonium habuit, eam ex Beneficialibus sive Ecclesie inuito quaesitis bonis emptam, præsumendum censuerunt PP. Conciliorum Carthag. & Tolet. c. 1. & c. fin. reatorum; quòd, sicut acquisita ab uxore tempore constantis matrimonii, ad præsumptionem vel suspicionem turpis quaesitis excludendam, ex mariti bonis quaesita censentur, l. Quintus § 1. ff. de Donat. inter Vir & uxor. sic etiam ad evitandam suspicionem lucri minus honesti, hoc est, ex negotiatione clericis prohibita c. 1. & c. Secundum 6. Ne Clerici vel monachi ab ipsis post suam Ordinationem sive in beneficio institutionem ex Beneficialibus comparata præsumantur, Mascard. de Probat. conclus. 202. Non est tamen hæc præsumptio Juris & de Jure; ac proinde in contrarium, sive prædictas res mobiles aut immobiles ex bonis industria, labore, aut aliò modo, quam Ecclesie inuito quaesitis emptas, probationem admittit, ut in c. 1. cit. cum Glossa V. Debet, notat Panormit. n. 7.

Si verò clericus habuit proprium, præsertim amplum patrimonium, & contra redditus Beneficiales fuerunt tenues & congruam sustentationem non excedentes, ex eo proprio patrimonio emptæ præsumuntur, arg. à contrario c. 1. cit.

Demum, si consideratà quantitate, tam patrimonii quam reddituum beneficialium, ex quibus comparatæ sint, dubium perseveret, eas partim Patrimoniales, partim Beneficialibus bonis comparatas, præsumendum; ac proinde inter eos, quibus hæc aut illa debentur, post clerici obitum dividendas, tradit Panorm. in c. Ut unusquisque cit. n. 3.

TITU.